

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Eximia pietate & eruditione praedito theologo, Ioanni
Spangenbergio, Superattendenti comitatus Mansfeldensis primario,
domino suo uenerando, Ioannes Forstherus superattendens Mersburgensis
S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

mundi. Et si qui cadunt in hoc praelio, nusquam est
 mors speciosior, dulcior, præclarior, gloriosior,
 quam cum tam o rege Christo cadere & resurge-
 re. Cecidimus uno die Hagenoæ, Vrbanus Re-
 gius & ego sed uicimus, quando certi sumus ui-
 ctorem & triumphatorem esse Christum. Cecide-
 runt Eobanus Hessus, Grynæus, Capito, Polyan-
 der: sed uictores iam, conculcato & confosso ho-
 ste per Christum, existunt. Imò non ceciderunt,
 sed in uictoriam & uitam irruerunt, & illud
 Psalmi canant: ipsi obligati sunt, & ceciderunt
 nos autem surreximus, & erecti sumus, &c.

Psalmos tuos pœnitentiales, & alios quos ad
 me misisti, quotidie penè lego: & ualde delectat
 me, Spiritum sanctum loqui in Ecclesia uarijs lin-
 guis & sonis, in Psalmis, organis, & omnis gene-
 ris modis & uocibus. Datæ 42.

Eximia pietate & eruditione prædito
 theologo, Ioanni Spangenbergio, Super
 attendenti comitatus Mansfeldensis pri-
 mario, domino suo uenerando, Io-
 annes Forstherus superatten-
 dens Mersburgensis
 S. D.

Edidit Iacobus Ratz, concionator in Neunstat
 G 4 oppido,

oppido, libellum Germanicum, cuius titulus est, Von der hell. in quo aliquot locos obscuriores explicat, maximè uerò de descēsu ad inferos. de quo, cum Erphordiam transiens, ibi in bibliopolio percontarer, fortè assistebat mihi, qui se bibliopolam dicebat, & ciuem Islebiensem, & habere domi exemplaria quædam adfirmabat. Rogabam, ut per occasionem mihi duo aut tria exemplaria Mersburgum mitteret, pro pecunia. Quod cum interea temporis, dum hic fuit, non fecerit: Lipsiæ percontari curavi per amicos de libello: sed non est inuentus. Quare cum obiter apud illustrem principem Georgium ab Anhalt, & c. mentionem eius facerem, rogauit me uehementer, ut tuæ excellentiæ scriberem: se enim uelle curare nunciū, qui ad te literas perferret. Ego uerò, etsi planè tui nullam noticiam habeans, licet uiderim & audiuerim te olim cum adhuc Northusij ageres: tamen obtinere Principis petitioni uolui, per suassimum habens de tua humanitate, quòd id officij uel principis optimi nomine haud faciliè detrectaturus sis, atque duo exemplaria aut tria hoc nuncio mittere: in hoc & Principi illustrissimo, & mihi haud parum gratificaturus. Valeat tua excellentiæ feliciter, & eam Christus suæ Ecclesiæ multos annos conseruet saluam & incolumem. Datum Mersburgi, 9 Aprilis, 1548.

Eccle-